

OPVS EPISTOLARVM
DES. ERASMI ROTERODAMI

DENVO RECOGNITVM ET AVCTVM

PER

P. S. ALLEN

COLLEGII CORPORIS CHRISTI OLIM PRAESIDEM

TOM. XI

1534-1536

EDIDERUNT

H. M. ALLEN

HON. CAVSA M.A. OXON. NEONON PHILD. BASILIENSIS
COLLEGII S. HILDAE, OXON., HON. CAVSA SOCIA

ET

H. W. GARROD, M.A.

ACADEMIAE BRITANNICAE SOCIVS
COLLEGII MERTONENSIS SOCIVS ET BIBLIOTHECARIVS
HON. CAVSA LITT.D. DVNELM.
ORDINIS BRITANNICI IMPERII COMMENDATOR

OXONII

IN TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

MCM XLVII

APPENDIX XXVII

THE EXPOSITIO FIDELIS.

Expositio Fidelis, 1535 (a).

T. Mori Lucubrationes, 1563, p. 519 (β).

LB. App. 378.

[The letter, in the earliest form known to us, was printed in 1535. The type shows that the printer was Froben, in whose house Erasmus was living. It bore the title *Expositio fidelis de morte D. Thomae Mori et quorundam aliorum insignium virorum in Anglia*; and purported to be a letter addressed by P. M. to Caspar Agric^{pinus}. In this form it was reprinted at Antwerp in 1536. In 1563 it was reprinted at Basle, by Episcopius, in *Thomae Mori Lucubrationes*, under the title *Epistola de Morte D. Thomae Mori et Episcopi Roffensis, insignium virorum in Anglia*. In this reprint the letter is headed 'G. Courinus Nucerinus Phil. Mont. S.D.'. The new heading suggests two things: (1) that Episcopius was aware that the P. M. of the letter as printed in 1535 was Philip Montanus (for whom see Ep. 2065 introd.); (2) that he had reason to suppose that Gilbertus Cognatus was in some way concerned with the Froben edition of 1535 (LB., reprinting the 1563 version, has *Gulielmus Cognatus* for *G. Cognatus*, by what would seem to be a mere oversight of the press). It is likely that Cognatus, perhaps under Erasmus' direction, prepared the Basle edition of 1535; in the earlier portion of the letter some of the details not found in the *scheda apud Parisios iactata* (see ll. 212-13) may have been supplied by him; nor is it difficult to believe that he had a hand in the composition of the concluding portion of the letter—the style is not unlike his, and some of the reflections are a degree banal. Leclerc, while doubting the ascription to Erasmus, yet included it among his *Epistolae*, and gave as his reason for doing so: 'quicunque vero auctor sit, elegans sane est et lege meretur, duorum Angliae celeberrimorum virorum obitus enarrans'. Of the original author, we know certainly no more than that he bore the initials P. M., that he wrote from Paris, that he had been in England with Campegio, and that he was personally acquainted with More. He may perhaps have been Montanus. Of the friend whom he addresses, Caspar Agric^{pinus}, we know no more than can be inferred from the penultimate sentence of the letter; in which P. M. asks for some account of the activities of John of Leiden ('Rex Sion'): the request suggests that Agric^{pinus} belonged to, and was stationed in, some region of Germany not remote from Munster.

The letter falls into three parts:

(1) An account of the trial and death of More, ll. 29-211. This account is derived, confessedly (ll. 11-13 and 212-13), from the Paris News Letter (printed by Miss E. V. Hitchcock in her edition of Harpsfield's *Life of More*, pp. 258-66; cf. Brewer viii. 1096). Miss Hitchcock supposes the Latin to be (except for ll. 1-29, which are introductory and independent, and for one or two small additions and omissions made by the translator) a direct translation from the French. But the error *Killim*, for *Guilty* (l. 130), suggests connexion with the German translation—in which the same error appears. (The error is found in none of the French versions, though one of them has *Gilley*.) The translator professes ignorance of the authorship of the News Letter.

(For a different Latin translation of the News Letter, with a different title, see MHL. iv. 489-90.)

(2) An account of the death of Fisher and the Carthusians, ll. 212-86. The writer tells us that this part of his narrative is derived 'partim ex amicorum litteris, partim e rumoribus'. Sending a copy of the letter to Goes, Erasmus indicates that the portion referring to the Carthusians is less reliable than the rest (Ep. 3076. 19-21).

(3) Three to four pages (ll. 287-463) of moral and political reflection by the writer upon the events which he has recorded; he speaks of the grief which they must bring to Erasmus; he deprecates the stubborn attitude of More and Fisher, and makes faint apologies for Henry VIII. The poor quality of this part of the letter makes it surprising that it should at any time have been attributed, as it was early (e.g. Bl. E. 646), and has been in recent times, to Erasmus himself.]

P. M. CASPARI AGRIP. S. D.

QVONIAM iuxta Pythagorae sententiam oportet omnia esse communia, recte collegit Euripides, et dolores inter amicos oportere communes esse. Accipies igitur, vir amicissime, ab amico minime laeta, sed omni lacrymarum genere bonis omnibus deploranda: quanquam arbitror famam istuc iam dudum omnia pertulisse prius quam ad nos, de morte quorundam apud Anglos insignium viorum, sed praecipue Thomae Mori, dum viueret eius regni Baronis incliti, ac supremi Iudicis, quem illi Cancellarium appellant: qua dignitate non est apud eam gentem alia maior, excepto Rege, eoque, quum prodit, aureum sceptrum imposita corona Caesarea gestatur ad vnum latus, ad alterum liber. Quae vero sum narraturus partim e schedis Gallice scriptis, quae hic circumferuntur, desumpsi, partim e rumoribus. Nam nihil horum vidi.

Sed priusquam aggrediar, paucis describam Londoniensis vrbis situm. Ciuitas in latum angusta, ad Thamysim flumen sic in longum porrecta est vt videatur non posse desinere, vnde et nomen videtur inditum: siquidem apud Flandros loca mari vicina Dunen appellant. Indidem dictum videtur Galliarum Lugdunum, quasi dicas, longas ripas. Ad orientem in extremo habet arcem bene munitam, qua Reges interdum vtuntur, vulgus Turrim appellat. Sed in eadem seruari solent viri nobiles, aut alias dignitate quapiam praeminentes, qui videntur aliquid aduersus Regiam Maiestatem deliquisse. In altero extremo ad occasum insigne monasterium est Benedictinorum, vulgus appellat Vuestmonasterium: et huic proximum Regis palatum structurae veteris, sed quo nunc Reges parum delectantur. Palatio adiuncta est domus spatiosestima, nullis fulta columnis, in qua sedent iudices. Vtrunque aedificium flumini imminet, vt hinc illinc cymba vehi possint.

In hac arce Thomas Morus posteaquam multis mensibus fuisse captiuus, Cal. Iuliis, Anno Domini M.D.XXXV, productus est ad modo dictam Curiam, capitisi causam dicturus apud tribunal iudicium a Rege delegatorum. Ibat reus baculo innixus tam longam viam, corpore graui aegrotatione in carcere debilitato, nihil tamen perturbationis vultu prae se ferens. Primum recitati sunt articuli criminum quae illi obiiciebantur. Mox Cancellarius qui Moro successit, ac Dux Nortfordii, hunc in modum reum appellarat: En vides, Magister More (sic appellant mediocri dignitate praeditos) te grauiter deliquesce in Regiam Maiestatem: attamen speramus te, si modo resipiscas, et abiures istam obstinatam opinionem, in qua hactenus tam procaciter perstitisti, veniam a Regis clementia consequuturum. Ad haec Morus: Domini mei, ego summo cordis affectu ago vobis gratias pro ista vestra amica erga me voluntate: tantum illud oro Deum omnipotentem, confirmare dignetur me in hac qua nunc sum sententia, vt in ea perseuerem vsque ad mortem. Caeterum quum reputo quam prolixii quamque graues articuli sint, quibus oneror, vereor ne mihi nec ingenium suppetat, nec memoria, nec oratio, quae sufficiat ad respondendum omnibus, praesertim quum in carcere tam diu

TTT. α: G. COVRINVS NVCRINVS PHIL. MONT. S. D. β: GVLIELMVS COVRINVS NVCRINVS PHILIPPO MONTANO S. D. LB. 45. sunt α: correximus.

fuerim detentus, in quo graui aegrotatione contraxi corporis debilitatem, quae me nunc etiam habet.

- 50 Tum iussu Iudicium allata est sella, in qua sederet. Vbi consedisset, prosequutus est institutum sermonem hunc in modum. Quod ad primum attinet articulum, qui conatur ostendere meam in Regem malevolentiam in negotio posterioris matrimonii, confiteor ingenue, me semper restitisse illius serenissimae Maiestati. Nec est animus 55 super hoc negotio quicquam aliud dicere, quam quod hactenus semper dixi, ad hoc vrgente me conscientia: per quam vt non debebam, ita nec volebam Principem meum caelare veritatem. Nec hic est vlla proditio quae intenditur; quin potius, ni id fecissem, praesertim in re tanti momenti, vnde pendebat mea sententia, et 60 Principis honos, et regni tranquillitas, tum vere fuisse, quod nunc obiicitur, malevolus, perfidus ac proditor. Ob hoc delictum (si modo delictum appellandum est) grauissimas dedi poenas, exutus omnibus facultatibus meis, ac perpetuo addictus carceri, in quo menses iam quindecim totos fui detentus. Sed his omissis tantum ad ea respon- 65 debo, quae sunt huius negotii praecipua. Quod obiicitur, me incurrisse in poenam violatae constitutionis, quae proximo consilio prodita est, me iam in carcere agente; quasi malitioso animo, perfidiose, ac proditorie Regiae Maiestati detraxerim famam, honorem ac dignitatem, quae illi per dictam constitutionem erat tributa, videlicet 70 quod ibi declaratur sub Iesu Christo supremum caput Ecclesiae Anglicanae: in primis respondebo ad hoc quod mihi obiicitur, quod domino Secretario Regis ac venerabili Maiestatis illius concilio, ro- gatus quae mea esset de hoc aedicto sententia, nihil aliud voluerim respondere, quam me iam mundo mortuum esse, nec istiusmodi 75 negotiis amplius sollicitari, sed tantum meditari in passione Domini nostri Iesu Christi: dico me per istam vestram constitutionem ob hoc silentium non posse damnari capitum, eo quod nec vestrum aedictum, nec vllae leges mundi possunt quenquam ob silentium addicere morti, sed tantum ob dictum aut perpetratum facinus. De occultis enim 80 solus iudicat Deus.

Ad haec respondit Procurator Regius interpellans: At tale silentium, inquit, euidens argumentum est animi male sentientis de iam dicta constitutione. Nam omnis subditus syncerus ac fidelis Regiae Maiestati, si de dicta constitutione interrogetur, tenetur et obligatur 85 citra omnem dissimulationem respondere categorice Regium edictum esse bonum, iustum ac sanctum. Ad quae Morus: Si verum est quod habetur in legibus, eum qui tacet videri consentire, meum silentium confirmauit potius vestram constitutionem quam improbauit. Iam quod dicis, omnem subditum fidelem obligari vt respondeat categorice 90 si interrogetur, etc., respondeo, bonae fidei subditum magis obligatum esse Deo, conscientiae, et animae suae, quam vlli alii rei in hoc mundo, maxime si talis conscientia, qualis est mea, nihil offendiculi, nihil seditionis pariat domino suo. Nam illud pro certo vobis affirmo, quod nulli mortalium vnuquam detexerim hac in re conscientiam 95 meam. Venio nunc ad secundum accusationis caput, quo arguo contra dictam constitutionem molitus ac machinatus fuisse, eo quod ad Roffensem scripserim octo paria Epistolarum, quibus illum animarim aduersus istud edictum. Equidem vehementer optarim eas

epistolas hic proferri ac recitari, quae me vel conuincerent vel libera-
rent. Caeterum quando illae, quemadmodum praedicatis, per Epi- 100
scopum exustae sunt, ipse non grauabor recitare sententiam earum.
In earum quibusdam agebatur de nostris priuatis negotiis, pro vetere
nostra amicitia ac familiaritate. In vna quadam continebatur
responsum ad Episcopi litteras, quibus scire cupiebat, quid et quo
pacto respondissem de ista constitutione. Ad id nihil aliud rescripsi, 105
nisi me iam meam composuisse conscientiam, ipse componeret suam.
Animae meae periculo ac teste Deo vobis asseuero, nihil aliud in illis
litteris a me scriptum fuisse. Harum igitur caussa non possum per
vestram constitutionem addici morti. Superest tertius articulus, qui
intendit quod, quum de vestra constitutione examinarer, dixerim 110
eam esse similem gladio vtrinque secanti, propterea quod si quis
vellet eam seruare, perderet animam, si contradicere, perderet corpus.
Idem quoniam, vt dicitis, respondit Episcopus Roffensis, perspicuum
esse inter nos fuisse conspirationem. Ad haec respondeo, me nun-
quam fuisse loquutum, nisi conditionaliter: sic videlicet, si tale esset 115
edictum, qualis est gladius vtrinque incidens, quo pacto posset quis
euitare, quin in alterum incideret periculum? Haec mea fuit oratio.
Quomodo responderit Episcopus, nescio: si illius oratio cum mea
congruebat, id nequaquam accidit ex conspiratione, sed potius ex
ingeniorum ac doctrinae similitudine. Breuiter: illud pro certo habe- 120
tote, me nunquam quicquam maliciose fuisse loquutum aduersus
vestram constitutionem: at fieri potuit, vt ad benignam Regis
clementiam aliquid maliciose fuerit delatum.

Post haec vocati sunt per quendam ex ostiariis duodecim viri,
iuxta gentis illius consuetudinem, quibus traditi sunt articuli, vt 125
super illis consultarent, ac post consultationem iudicarent, ac
pronunciarent, vtrum Thomas Morus maliciose obstitisset praedi-
ctae constitutioni Regis, an non. Qui quum per horae quartam
partem secessissent, reuersi sunt ad principes ac iudices delegatos,
ac pronunciarunt Killim, hoc est, dignus est morte. Ac mox per D. 130
Cancellarium lata est sententia iuxta tenorem nouae constitutionis.

His ita peractis Thomas Morus hunc in modum orsus est loqui:
Age, quando sum condemnatus, quo iure Deus nouit, ad exonerandam
conscientiam volo liberius eloqui quod sentio de vestra constitutione.
Primum illud dico, me septem annis intendisse animum studiumque 135
meum in istam causam, verum hactenus in nullo doctorum ab
Ecclesia probatorum reperi scriptum, quod laicus, aut, vt vocant,
secularis, possit aut debeat esse caput status spiritualis aut eccl-
esiastici. Hic Cancellarius interrumpens Mori sermonem, Domine
More, inquit, itane tu vis haberi sapientior meliorisque conscientiae 140
omnibus Episcopis, tota nobilitate, toto denique regno? Ad quae
Morus: Domine, inquit, Cancellarie, pro vno Episcopo, quem habes
tuae opinionis, ego sanctos et orthodoxos viros habeo plures centum,
mecum sentientes, et pro vnico vestro concilio, quod quale sit Deus
nouit, pro me habeo omnia Concilia generalia annis abhinc mille 145
celebrata: et pro vno regno, habeo Franciam caeteraque orbis Christi-
ani regna omnia. Hic Dux Nortfordii interpellans: Nunc More,
inquit, perspicue liquet tua malevolentia. Ad quae Morus: Milordt

148. inquit β LB.: om. α .

(sic Angli compellant insigni dignitate praestantes), vt haec loquar
 150 non incitat malevolentia, sed cogit necessitas ad exonerandam conscientiam meam, teste Deo qui solus scrutatur corda hominum. Praeterea dico et illud, constitutionem vestram esse perperam factam, eo quod vos professi estis, et iureiurando vosmetipsos obstrinxistis, nihil vñquam molituros aduersus sanctam Ecclesiam, quae per
 155 vniuersam ditionem Christianam vñica est, integra et indiuidua, neque vos soli vllam habetis autoritatem citra aliorum Christianorum consensum condendi legem, aut instituendi concilium aduersus vñionem et concordiam Christianitatis. Nec me fugit, quam ob rem a vobis condemnatus sim, videlicet ob id, quod nunquam voluerim
 160 assentire in negotio noui matrimonii Regis. Confido autem de diuina bonitate ac misericordia fore vt quemadmodum olim Paulus Stephanum persecutus est vsque ad mortem, et tamen iidem nunc vñanimes sunt in coelo, ita nos, qui nunc discordes sumus in hoc mundo, in futuro seculo pariter simus concordes, et perfecta charitate vñanimes.
 165 Hac spe fretus precor Deum, vt vos seruet vna cum Rege, eique dare dignetur bonos consultores.

His ita peractis, Thomas Morus reductus est in Turrim. Hic obiter accidit spectaculum ipsa condemnatione miserabilius. Margareta, filiarum Mori natu maxima, mulier praeter eximiā formae venu-
 170 statem cum summa dignitate coniunctam, iudicio, ingenio, moribus et eruditione patris simillima, per medium populi turbam, perque satellitum arma semet iniecit, et ad parentem penetrauit. Quum et mulier esset, et natura cum primis verecunda, tamen et metum et pudorem omnem excusserat impotens animi dolor, cum audisset
 175 patrem in Curia morti addictum esse. Hoc accidit priusquam Morus arcis portam ingrederetur. Ibi in charissimi parentis collum irruens, arctissimo complexu aliquandiu tenuit eum. Caeterum ne verbum quidem interim potuit proloqui. Curae, inquit Tragicus, leues lo-
 quuntur, ingentes stupent. Mouit stipatores, tametsi duros, hoc
 180 spectaculum. Horum itaque permissu Morus his verbis consolatus est filiam: Margareta, patienter feras, nec te discrucies amplius. Sic est voluntas Dei. Iam pridem nosti secreta cordis mei. Simulque dedit osculum ex consuetudine gentis, si quem dimittunt. At illa cum digressa esset ad decem vel duodecim passus, denuo recurrit, et
 185 amplexa parentem rursus inhaesit collo illius, sed elinguis p̄ae doloris magnitudine. Cui pater nihil loquutus est, tantum erumpē-
 bant lacrymae, vultu tamen a constantia nihil dimoto. Nec aliud supremis verbis mandauit, quam vt Deum pro anima patris depre-
 caretur. Ad hoc pietatis certamen plurimis e populari turba lacrymae
 190 excidere. Erant et inter satellites, ferum et immite genus hominum,
 qui lacrymas tenere non potuerunt. Nec mirum, quum pietatis affectus adeo valida res sit vt immitissimas etiam feras moueat. Hic apud se quisque reputet quam valido ariete tum pulsatum sit Thomae Mori pectus. Erat enim erga suos omnes adeo φιλόστοργος, vt non
 195 alias magis: sed eam filiam, vt erat eximiis praedita dotibus, ita diligebat impensis. Morum fortiter excepisse sententiam mortis, aut etiam carnificis securim, minus admirandum existimo, quam pietatem erga suos potuisse vincere. Nihil enim addubito, quin hie

doloris gladius crudelius vulnerarit Mori praecordia, quam illa carnicis securis, quae collum amputauit.

200

Die Mercurii sequente, hoc est, septimo die Iulii, productus est in planiciem, quae est ante arcem. Mos est illic ut afficiendi suppicio de ponte plebem alloquantur. At Morus paucissimis verbis est vsus, tantum orans qui aderant, ut pro ipso Deum orarent in hoc mundo, se vicissim in altero mundo precaturum pro ipsis. Mox hortabatur 205 atque instanter rogabat, orarent Deum pro Rege, ut illi dignaretur impartire bonum consilium, contestans se mori fidelem ac bonum Regis ministrum, ac Dei in primis. Haec loquutus prompte constantique vultu flexis genibus ceruicem posuit securim excepturus, non sine graui multorum gemitu. Erat enim bonis omnibus charissimus. 210

Quae hactenus narraui, fere continebantur in scheda apud Parisios iactata, ac per manus hominum volitante. Quisquis autem scripsit, videtur actis interfuisse. Quae deinceps referam, partim ex amicorum litteris, partim e rumoribus accepi. Paucis ante diebus, hoc est xv. Cal. Iulias, Ioannes Phischerus, Episcopus Roffensis, qui tum 215 vitae sanctimonia atque austерitate, tum administrandis sacramentis, tum assiduitate docendi voce simul et scriptis, denique mira liberalitate in egenos, benignitate in studiosos, verum agebat Episcopum, ex arce dicta, in qua captiuus tenebatur, productus est, et ad Curiam, quae, ut ante dixi, Vuestmonasterio proxima est, fre- 220 quenti satellitum armatorum stipatu perductus est, partim nauigio, partim equo, ob corpusculi debilitatem, quam praeter aetatem auxerat carceris incommoditas; licet ipse valetudinem suam semper et ieuniis et vigiliis et studiis et laboribus ac lacrimis vehementer attenuasset. Ille vero tametsi non ignoraret eius cognitionis exitum, 225 nihil tamen perturbatus est, sed placido, ac prope etiam ad hilariatem composito vultu ad tribunal euocantibus paruit. Ibi iuxta morem eius regionis, quem antea descripsi, sententia capitali damnatus est, supplicium daturus, simulatque Regi visum esset: hoc adiectum suspicor, si forte spe veniae ac supplicii metu posset a 230 sententia deduci.

Mortis genus erat et foedum et horribile, quo tamen fuerant affecti Cartusiani aliquot, quos aiunt fuisse quindecim, quod ut credam vix possum adduci. Cartusianis adiunctus est Reginaldus Monachus Brigittensis, vir angelico vultu et angelico spiritu, sanique iudicij: 235 quod ex illius colloquio comperi, quum in comitatu Cardinalis Campegii versarer in Anglia. Nam Cartusianorum noui neminem. Aiunt ex his quosdam fuisse per viam tractos, dein suspensos laqueo, ac spirantibus etiamnum exacta intestina: quosdam etiam exustos igni, sed omnium incredibilem fuisse constantiam. Solet rumor rebus 240 tristibus aliquid addere. At si hic verus est, videtur hoc esse consilium eorum qui regio obsecundant animo, ut immanitate suppliiorum caeteros absterrent. Nam facile diuinabant, institutum plurimis improbatum iri, praesertim ecclesiasticis, et religionis studio deditis.

245

Sed ad Roffensem Episcopum redeo. Is accepta tam horrendae mortis sententia, quum satellitibus stipatus reduceretur in arcem, ut

206. β LB.: oraret α . 207. α : impetrare β LB. 209. posuit $\alpha\beta$:
imposuit LB. 228. antea $\alpha\beta$: ante LB.

ad ostium ventum est, versus ad satellites hilari placidoque vultu; Plurimam, inquit, optimi viri, vobis habeo gratiam pro officio, quo
 250 me euntem et redeuntem deduxistis. Dixisse hominem ex hilari suauique redire conuiuio, adeo et color erat iucundior, et ipse toto corporis gestu, quatenus per grauitatem lieuit, laetitiam quandam prae se ferebat, vt nemini non esset perspicuum, sanctissimum virum, ceu iam portui vicinum, toto pectore ad illam beatam tranquillitatem
 255 aspirare. Nec diu dilata est mors. Ad decimum Cal. Iulii productus in planiciem, quam Angli vulgo dicunt Turris Collem, vultu non solum constanti, verum etiam alacri, paucis alloquutus est populum. Primum Regi regnoque bene precatus est: mox ardenti magis quam prolixa precatione se ipsum Dei misericordiae commendauit: simulque
 260 procumbens in genua, gracili et exhausta ceruice securim exceptit. Neque enim apud Anglos carnifices gladio ceruicem incident, sed damnato in truncum ad id apparatus inclinanti, securi caput amputant. Quanto cum animi dolore viderint hoc spectaculum quibus religio pietasque cordi est, et qui Christi spiritum in pastore operantem
 265 experti fuerant, facile quiuis ex sese poterit aestimare. Caeterum quod mitiore poena affectus est quam minabatur iudicium sententia, sunt qui in causa fuisse putent, quod metuerint ne senex et exhausto corpusculo, si per viam tam longam rheda traheauerit tractus fuisse, sponte exspiraret. Ego suspicor, ob hoc mortis genus atrocius de-
 270 nunciatum, vt immanitate supplicii territus mutaret sententiam. Nec desunt qui praedicant, ob hoc ipsum acceleratam mortem, quod Romanus Pontifex Paulus tertius Episcopum Roffensem ob insignem doctrinam ac pietatem in Cardinalium ordinem allegisset.

Ex amicorum litteris cognoui, in Germania inferiore sparsum
 275 rumorem, quum Episcopi Roffensis caput esset in ponte Londoniensi de more expositum, non solum non emarcuisse, verum etiam magis effloruisse, viuoque factum similius, vt multi crederent fore vt etiam loqui inciperet: quod in quibusdam martyribus factum legimus. Ea res, seu fama, quum vulgo increbuisse, sublatum est atque abditum.
 280 Populus enim credulus saepe leui quapiam occasione turbas ingentes excitat. At veriti ne idem eueniret in capite Mori, priusquam exponeretur, aqua feruenti decoctum est, quo plus haberet horroris. Haec aliaque multa his similia perscribuntur e Flandria Britannis vicinore: penes alias sit fides. Vtinam huc peruenissent acta
 285 Roffensis, quemadmodum acta Mori peruererunt.

Ex Mori responsis facile liquet illum destinasse mori citius quam sua sententiae canere palinodiam. Quo animo videntur omnes fuisse qui ante Morum extinti sunt. Morum ac Roffensem et illud mouit, opinor, quod qui bene natos, laute educatos, in honore habitos, in
 290 carcere detinet, non dat vitam, sed longiorem et acerbiorum mortem. Ego si Regi fuisse in consilio, pro mea stultitia conatus fuisse illi persuadere, vt pro sua solita clementia caeterisque virtutibus, per quas nomen ipsius hactenus erat apud omnes nationes gratiosum et amabile, ab illis Britanniae luminibus totique orbi notis abstineret,
 295 aut certe poena mitiore contentus esset. Rursus, si qui perierunt, me adhibuissent in consilium, suasissem, ne se irruenti procellae palam opponerent. Violenta res ira Regum, cui si incommodo resistas,

268. $\alpha\beta$: trahaue LB.291. illi $\alpha\beta$: om. LB.

grauiores excitat tumultus. Equi feroce, quemadmodum et tonitrua, non vi, sed popysmate leniuntur. Et nautae non pugnant aduersus impotentem tempestatem, sed vel quiete vel obliquis cursibus vtentes 300 expectant coelum commodius. Multis rebus medetur tempus, quas nulla vi possis emendare. Res humanae semper quidem fluctuant, sed quoties incidit insignis aut fatalis rerum mutatio, multi perclitantur qui non cedunt turbini. Veluti quum Julius Caesar aperiret ianuam tyrannidi, et Triumviri iunctis copiis imperium orbis occu- 305 parent, laudatissimi quique viri perierunt, quorum erat et M. Tullius. Qui monarchis seruunt, iis quaedam dissimulanda sunt, vt si non queant obtainere quod iudicauerunt optimum, saltem aliqua ex parte moderentur Principum affectus. Dixerit aliquis, pro veritate mortem oppetendam. At non pro quauis veritate. Si tyrannus iubeat, aut 310 abiura Christum, aut pone ceruicem: ponenda ceruix. Sed aliud est silere, aliud abiurare. Si fas est te dissimulare Christianum citra graue scandalum, multo magis licuissest hic esse tacitum. Sed inepte facio, qui de rebus tam arduis disputem, qui nunquam interfuerim monarcharum consiliis. Itaque de tota causa iudicium aliis relinquo. 315 Illud satis constat, eos viros si quid peccarint, nulla in Regem malevolentia peccasse, sed simplici synceraque conscientia errasse. Hoc sibi penitus persuaserant, hoc medullis infixum habebant, sanctum, pium, Regi honorificum, regno salutare esse quod tuebantur. Argumento est, quod nullus illorum affectarit regnum, aut alteri asserere conatus 320 sit, nec vllam molitus sit seditionem, aut vllas contraxerit copias, ac ne verbum quidem excidit odium conspirationem resipiens. Silere cupiebant si licuissest, sed patienter ac placide mortem exceperunt, nihil aliud quam Regi regnoque bene precantes. At in atrocibus etiam criminibus magnam culpa partem excusat simplex ac pura 325 conscientia, animusque non laedendi, sed bene merendi cupidus. Tum apud efferas etiam nationes frequenter eximiae virtuti praestantique doctrinae honos est habitus. Platoni apud Aeginetas, iuxta ciuitatis constitutionem capite plectendo, profuit philosophi cognomen. Diogenes impune penetrauit in castra Philippi, regis Macedonum, 330 ad quem pro exploratore adductus, libere exprobrauit regi insaniam, quod non contentus suo regno semet coniiceret in periculum ne perderet omnia. Non impune tantum, sed etiam cum munere dimissus est, non ob aliud, nisi quod esset philosophus. Quemadmodum monarcharum in eruditos benignitas plurimum honesti nominis 335 illis conciliat, ita durius tractati plurimum inuidiae conflant illis. De his praecipue loquor, qui scriptis inclaruerunt apud omnes nationes, et quorum memoria videtur apud posteros futura gratiosa. Quis nunc non execratur Antonium, qui Ciceronem ferro peremis? Quis non detestatur Neronem, qui Senecam occiderit? Nec minimum gratiae 340 decessit Octauii Caesaris nomini, quod Ouidium apud Getas relegarit.

Haec nequaquam eo mihi dicuntur vt regem Christianum cum impiis principibus conferam, aut de negotio, cuius circumstantias non noui, pronunciem, quod etiam si periculum abesset, temerarium esset: sed vt ostendam quibus rationibus fuerim conatus per- 345 suadere, vt rex parcendo viris pietatis et eruditionis commendatione

298. β LB.: excitant α .
341. apud α : ad β LB.

306. quorum $\alpha\beta$: inter quos LB.
346. et $\alpha\beta$: ac LB.

iam immortalitati consecratis suo quoque nomini consuleret. Plausibilis semper est praepotentum clementia: sed tum clarissimos fert applausus, quoties viris illustribus ac de republica bene meritis 350 impenditur. 'Omne solum fortis patria est', et exilium fortibus ac praeclaris viris saepe cessit feliciter. Mortis inuidia grauis est. Quum Rex Galliarum Ludouicus xii, regnum adeptus pararet diuortium cum Ludouici Regis xi. filia, Maria, ni fallor, nomine, res displicuit quibusdam bonis; ex quibus Ioannes Standock, et huius discipulus 355 Thomas, in concione nihil aliud dixerant, nisi Deum orandum esse vt regi inspiraret bonum consilium. Quae apud populum dicuntur, ad seditionem spectant: et hi deliquerant aduersus regis edictum. Rex tamen nihil aliud quam vertere solum iussit, nec quicquam ademit facultatum: at idem negotio quod agebat confecto reuocabat 360 eos. Hac moderatione rex ille et suo consuluit instituto et grauem inuidiam evitauit, quod vterque esset theologus, vterque sanctitatis opinione commendatus. At Thomae Mori mortem deplorant et ii quorum instituto pro viribus aduersabatur. Tantus erat hominis in omnes candor, tanta comitas, tantaque benignitas. Quem ille vel 365 mediocriter eruditum ab se dimisit indonatum? Aut quis fuit tam alienus, de quo non studuerit bene mereri? Multi non fauent nisi suis, Galli Gallis, Germani Germanis, Scotti Scottis; at ille in Hybernos, in Germanos, in Gallos, in Seythas et Indos amico fuit animo. Haec naturae benignitas sic Morum omnium animis penitus infixit vt non 370 secus ac parentem aut fratrem plorent extinctum. Ipse vidi multorum lacrymas, qui nec viderant Morum nec vlo officio ab eo fuerant affecti: ac mihi quoque, dum haec scribo, nolenti ac repugnanti lacrymae prosiliunt. Quomodo nunc affectum credimus Erasmus nostrum, cui cum Moro tam arcta fuit amicitia vt prorsus, iuxta 375 Pythagoram, in duobus eadem esse videretur anima? Equidem misere metuo, ne bonus ille senex suo Moro commoriatur, si tamen adhuc in viuis est.

Sunt qui nos consolantur hoc argumento, quod dicunt, non deplorandos esse, sed gratulandum potius iis, qui tali morte vitam 380 finierunt. Est istud, fateor, non leue doloris lenimen: at ego Morum optarim incolumem, quum omnium studiosorum gratia, tum vero praecipue familiae causa, quam et numerosam et plane philosophicam reliquit: filium natu minimum iam maritum ac liberorum parentem, filias tres, et has nuptas ac liberorum matres, eruditas omnes, ac sub 385 paterna disciplina ad Christianam philosophiam pulchre institutas, vxorem fidelem, ac iam anum, ex qua tamen nullam prolem sustulit. Has omnes cum sponsis, nepotibus ac neptibus in vnis aedibus alebat, tanta religione, tantaque concordia, quantam non temere reperias in collegiis monachorum ac virginum. Hic mihi cogita, vir optime, qui 390 luctus, quae lacrymae, qui gemitus, qui dolores totam illam familiam confiant. Quot egregias animas vulnerauit illa securis, quae Mori caput amputauit?

Multi demirantes rogant, quid tanti sceleris commiserit vir semper habitus innocentissimis moribus? Quibus vix habeo quod pro comperto respondeam, nisi quod partim coniicere licet ex articulis More obiectis et illius responsione, partim ex amicorum litteris ac fama vulgata discere datur. Rex, vt omnibus notissimum est, aliquot

annis moliebatur repudium cum regina, Caroli Caesaris materterea.
 Morus praesagiens quo res esset euasura, vltro depositus Cancellarii
 munus, alia quaedam causatus, ne cogeretur eius negotii exequitor 400
 esse quod apud sese non probabat. Erat enim mentis tam religiosae vt
 propior esset superstitioni quam impietati. Sic cogitabat; Priuato
 licebit quiescere: Cancellario, qui os est Regis, non licebit. Videbat
 fore vt cogeretur multos condemnare morte, quos iudicabat optimos:
 ad haec, exitum tanti negotii incertum esse, ob ecclesiasticorum poten- 405
 tiam ac gentis illius solitam in reges ferociam. Tale si quid natum fuis-
 set, prima victima fuissest Cancellarius. At me si Morus in concilium
 adhibuissest, quum esset tam anxie religiosa conscientia, dehortatus
 fuissest eum ne susciperet dignitatem. Vix enim fieri potest vt
 qui in arduis principum functionibus versantur in magnis pariter ac 410
 paruis iustitiam ad vnguem obseruent. Proinde mihi gratulantibus
 quod talem haberem amicum in tanto rerum fastigio collocatum,
 respondere soleo, me non prius illi de eius dignitatis accessione gratu-
 laturum quam iuberet ipse. Iam tum enim nescio quid sinistri prae-
 sagiebat animus. Nec regem arbitror latuisse, quam ob causam 415
 Morus deponeret magistratum, vtcunque dissimulauit, quod Homerus
 indicat, monarchis esse proprium, offendionem in animo tegere,
 donec multo post tempore detur vlciscendi opportunitas. Interim
 rex minis ac fulminibus Clementis vii. factus iritatior, adiecit animum
 ad vetus illius regionis exemplum, vt regnum a iure Pontificis Romani 420
 assereret, et vtriusque status supremam potestatem sibi vendicaret.
 Caeterum quum sentiret, plurimorum animos ab hoc instituto
 abhorrese, ne qua cooriretur seditio, promulgatum est edictum, vt
 quicunque non abiuraret Romani Pontificis autoritatem, aut impro-
 baret nouum matrimonium, capitalis esset. Verum, hoc edictum non 425
 est promulgatum, nisi Roffense et Moro iam ductis in custodium.
 Roffensis semper plurimum tribuit sedi Romanae, et aduersus repu-
 dium libris etiam conscriptis pugnarat, sed tum quum adhuc integrum
 esset consulere. Morus scripsit nihil, sed pro officio quod gerebat,
 conabatur regis animum in eam inflectere sententiam quam putabat 430
 et Deo gratam et regi tutam et regno salutarem. Erat illi magna
 familiaritas cum Episcopo Roffense. Tum praedium, quod habebat
 Morus, non procul aberat a Richemonda. Ibi regio palatio vicina
 sunt duo monasteria vehementer opulenta, et quod maius est, bonae
 disciplinae, alterum Cartusianorum, alterum Brigittensium. Ab his 435
 facile crediderim sollicitatum Mori animum, vt Ecclesiae causam
 tueretur: at ipsum aliquid effutisse quod rebellionem saperet, nun-
 quam sum crediturus, vt qui ex crebris colloquiis perspexerim admirabilem
 quandam hominis cautionem. Evidem vix alium Anglum
 comperi, qui tam medullitus amarit principem suum, aut magis ex 440
 animo bene vellet, quam ille. Vnde igitur hic tumultus? Violenta
 res est, conscientia magis metuens Deum offendere quam mortem
 oppetere. Forte fefellit eum persuasio. At demiror si vir ille leuibus
 argumentis adductus est, vt sic obfirmaret animum. Maluit ipse
 perpeti, quam in alios facere, quod necesse fuissest, si in suscepto 445
 munere perseuerasset. Quin et reginae veteris, singulari pietate
 foeminae, multos miseret, non tantum ob id, quod dudum tanta
 dignitate florens, nunc in eum statum redacta est vt ob diuortium

nec eo frui possit, quicum tam diu vixit, nec alteri nubere ob Cle-
450 mentis sententiam, verumetiam quod videt, non dubium quin cum
summo animi dolore, ipsius causa tales viros trucidari. Huius porro
tragoediae quis sit futurus exitus, Deus nouit. Illud in confessio est,
per necem beati Thomae Acrensis, plurimum et auctoritatis et opum
accessisse statui ecclesiastico apud Anglos. Qui res mortalium suo
455 imperscrutabili consilio moderatur, pro sua bonitate dignabitur haec
omnia vertere in suam gloriam. Tantum e scheda, rumoribus et
amicorum litteris, hactenus licuit cognoscere: si compertiora fuero
nactus, tibi communicabo. Tu fac vicissim vt per te sciamus quid
460 agat rex Sion cum suis Prophetis, populoque retinecto, de quibus hic
mira feruntur, an vera, nescio.

Apud Lutetiam Parisiorum x Cal. Augusti, Anno M.D.XXXV.